



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

Corollarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

COROLLARIUM.

Quari potest, an Principes & alij eis inferiores rescripta moratoria aut dilatoria concedere possint debitoribus, ne à creditoribus conveniri possint. Et an in hoc rerum statu, quo maxima Germania pars bellis ardet, milesq; subditus non minus sevit quàm hostis, undè plurimi ad incitas propè rediguntur, num, inquam, rescripta dilatoria generaliter & contra omnes dari conveniat?

Ad primum: Videri potest *L. quoties & L. universa. Cod: de precibus Imperat. offerendis* *L. fin: Cod: qui bonis cedere possint*. Observant tamen DD. Principem non debere concedere huiusmodi rescripta pro debitis ex delicto: quia legibus constitutum est, ut qui non habet in ære, solvat in pelle: & tales nullâ commiseratione dignos esse docet Menoch: *de arbit. q. casu 103. n. 16. & seq:* sed solùm debitoribus ex contractu, neq; tamen omni. Non enim si debitum descendat ex contractu deposuit, *L. 1. Cod: de depos:* neq; si descendat ex contractibus locationis & conductionis. Trentacinquius *resol: 1. de fidejussoribus*. Neq; si ex debito pupillari vel Ecclesiæ. *Mausonius de causis execut:*

execut. lib: 1. limit: 6. n. 59. Item non ex debito dotali. *Cuch: n. 87.* Neque ad debita jurata non obtentâ prius relaxatione. Undè datas ordinarias inducias ad recensita debita extendi nolunt DD. minus autem volunt concedi posse decoctoribus, qui suâ malitiâ impotentes ad solvendum effecti sunt. *Boer. decis: 349. n. 10.* & alii, sed iis tantum qui adversâ fortunâ absque sua culpa pauperes effecti sunt *Wurmserus in Controv. juris lib: 1. tit. 9. contr. 2. n. 27.*

Undè patet quid ad secundum responderi possit. Et experientia quidem constat, moratorias etiamnum sæpè concedi: sed non videtur generaliter, & contra omnes conferendas esse, & præsertim iis, qui multa debent, quia multi ex creditoribus sunt miserabiles personæ, aut piæ causæ, quæ spoliata rebus suis extremè indigent & quibus à Principe peculiari- ter succurri debet. de hujusmodi videri potest *L. Miles ff. de re judicata.* cujus mentionem facit *Panormitan. ad cap. Odoardus. de solution.*

Cæterum dilationes moratoriæ cursum

sum inchoant à Principe concessæ, à dato
 rescripti. *Guido Papa. decis: 109.* & certò
 tempore limitantur ut videre est *L. univer-*
sa Cod: de precib. Imperat: offerendis. Ol pinio
 Zerolæ est pro quinquennio *in praxi Episc:*
verb: Lit. quinquen. Natta tempus modicum
 assignat etiam decennium *Consil. 2. 3. 5.*
16. & 17. Lancelotus autem in textu arbi-
 trio iudicis committit juxta *Glos. in dicta*
L. quoties. cui *Henricus adhæret de fidejuss.*
c. 3. num. 135. Mihi videtur in hac re con-
 suetudo Provinciarum & Regnorum
 servanda.

De interusuriis an currant induciarum
 tempore? Affirmat *Cuchus n. 148.* eo quod
 sufficiat debitores non molestari. Negat
Mollerus l. 4. semest. c. 7. n. 2. cum enim in-
 duciæ concedantur illis, qui fortunæ in-
 juriâ absq; sua culpa inopes facti sunt, &
 vix sortes solvere possint creditoribus,
 quomodo solvent interusura? Deberi
 ergò interusura conventionalia non in-
 ducialia docet *Hunnius hic cap. 5. num: 2.*
 quæ opinio in praxi mitis est. Vide-
 antur dicta suprâ concl. 10.

fol: 363.

TITU-